



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXIV. Sancti Patris Benedicti. M.XCIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

natum, uti jam nec de primo dubitabat. Potentissima quævis in animum verba erant, & ferro ignito efficaciora, profundissima in corde relinquentia stygmata. Ita attonitum reversus è campis Prior reperit, mox serio exprobrantem; ecurr ipse solus librum retineret; qui Abbatem præ alijs tangeret, & cujus exequutio potissimum ad Abbatem spectaret? Cumque responderet Prior ad Abbates Comendatarios non pertinere, sed qui solemnibus Votis, sub Regula illa se Numini devovissent. Et vero, inquit ille, ad illos vel maximè spectare, qui prorsus ignorarent, *Qualis esse debeat Abbas*, cum talem, nec alium S. BENEDICTUS sibi jure suo deposceret, & contra hæc non attendentem, ad Tribunal Divinum provocaret. Legendum proin ex integro libellum sibi depoposcit, totaque deinceps mente in illum incubuit, serio admodum ignorantia suæ veniam à Numine, rogans, & cum ipsos quoque Religiosos, ex acurata libelli lectione, procul ab Regulis discessisse adverteret, in omnem sese movens & vertens disquisitionem, qualiter & se, & sui Cænobij Religiosos, ad mentem Legislatoris sanctissimi accommodaret. De qua ipsa re, mira deinceps audiemus. *Ex Philippo Malabayla, Hilarione de Costa Annalibus Benedict. & Menologio nostro, & Hugonis Menardi.*

Montan-
nus vir do-
ctus.

Inter viros sæculi hujus doctissimos, jure meritissimo relatus hoc ipso tempore, celebratur Montaninus noster. Sanctæ MARIÆ de Florentia Monachus Congregationis Casinensis, qui ob insignia & rariora animi talenta, à Magno Herruria Duce Cosima Hospitalis Sanctæ MARIÆ Novæ Præses constitutus est. Translulit ex Græco in Latinum sermonem Philosophiam Nili Monachi antiquissimi, & plura alia edidit præclari ingenij monumenta. *Arnoldus Duac. Annal. Bened.*

Petrus à
Bucholz-
Abb. Glad-
bach.

Ceterum in Congregationibus Casinensi, Vallisoletana, Montferratenfi, Bursfeldensi ingens virorum eruditione & virtute insignium numerus, in Belgio imprimis: ubi primævi splendoris lumina resuscitata licebit admirari. *Ex rer. Belg. Script.*

Extinguitur ex illis hoc ipso anno Illustrissimum omnino lumen, Petrus

à Buocholtz, Virtute atque eruditione non minus præstans, quam generis nobilitate, idem Zelator imperterritus & indefessus promotor disciplina Regularis, inigne column Reformationis Bursfeldensis, Abbas dignissimus celeberrimi Monasterij Gladbachensis, æterna memoria pro meritis recolendus. *Ex monumentis Gladbachensibus.*

IESU CHRISTI ANNUS .M.D.LXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. XCIV.

Memorabilis hic annus felicissima natiuitate sanctæ memoriæ Dominae Mariæ de Bellovillare, ipso Annunciationis, & incarnati primum Verbi Divini solemnissimo Festo, quæ inter lucidissima nostræ ætatis sydera, haud minore splendore, quam lucifer illuxit, Gallijsque & Ordini nostro decus immortalæ addidit. Patrem habuit Claudium de Bello-Villare Comitem S. Aniani, Equitem Regium Andegavensium & Bituricensium Gubernatorem spectatissimum, Matrem Mariam Baboniam foeminam Religiosissimam, quæ vitæ integritate & sanctitate multis intervallis clarissimorum Natalium splendorem superaverat, puella deinceps in omni vita miram præferens Dñi gratiam, de qua uberius deinceps, & in òlentia planè erunt referenda. *Ex Vita ejusdem, & R. P. Amando Tribut Prioris Dervenfi.*

V. Maria
de Bellovil-
lare nasci-
tur.

Florentissimum perfectioris Vitæ studium celebratur sub hoc tempore in Patribus nostris Coelestinis; erga quos cum in vita summopere affectus fuisset Carolus IX. Galliarum Rex, id sub mortem suam, imo etiam à morte contestatum volens, cor suum apud eodem sepeliri mandavit, quod & fideliter præstitit Eminentissimus Cardinalis Petrus de Gondy, Archiepiscopus Parisiensis hoc anno.

Matthæus
Movillart
Abbas S.
Gisleni sit
Episc. Atre-
bat.

Mortuo hoc anno Francisco Richardoto Atrebatensi Episcopo, concordibus omnium Canonicorum votis eligitur Matthæus Movillart Atrebas ex Vico sancti Martini, Monachus & Abbas celeberrimi Monasterij S. Gisleni juxta Montes Hannoniæ, quod alias sancti Petri Cella vocabatur, Congregationis Bursfeldensis, sacrosanctæ Theologiae Doctor, Statuum Belgicorum, tempore Ferdinandi Ducis de Alva, Belgij Gubernatoris ad Regem Philip-

Philippum, in causa solutionis denarij decimi in Hispanias Legatus, Vir *Virutis & Doctrinae*, Ferreolo Locrio teste, *nec non & est incomparabilis*, qui tamen electioni de se factae assentire noluit (et si amicorum & summorum virorum precibus enixè exoratus) priusquam solutio pensionis aliquot centenariorum coronatorum, quae quotannis Eminentissimo Cardinali Granvelano, à prædecessoribus suis solvi consueverat, ab Episcopatu penitus removeretur, sedesque Atrebatensis, sua pristinae libertati & immunitati redderetur. Vir enim devotus & pius cum esset, sese cum aliquo conscientiae scrupulo (verba Arnoldi Duaceni sunt) ab Abbatia sua, qua sola contentus erat, separari non sinebat. Factus igitur Voti sui compos, consecrationem tandem accepit, suaeque statim initia Episcopatus tanto merito de Ecclesia inchoavit, imo anteverit, quem etiam honorem strenuè gessit, & inter infernalium Cerberorum rabiem generosissimè propugnavit, inter omnes fluctus infinitarum calamitatum, sibi constans semper, patientia insuperabili, incomparabilique vitae integerrimae exemplo. *Quo in vita genere, inquit præfatus auctor, quanta pro*

*Ignominia
fuga.*

*Affertor
felicissimus
rei Catho-
lica.*

Catholicae Fidei defensione ab impijs & Hæreticis sustinuerit, facilius est cogitare quam dicere, ab ijs enim summis injurijs affectus, & tandem etiam in exilium actus patientissimè & animo virili pro Christi amore adversa omnia sustinuit, donec gratia Dei mediante ad sedem suam revocatus est &c.

*Hieronymus
Abb. S.
Winnoci.*

Hieronymus Liber Bâro à Grimberga exhibuit, inter omnes Hæreticorum astutus animo invicto etiam postquam altera vice Cænobium Sancti Winnoci, cujus Abbatem agerat, miserè ab hostibus vastatum fuit, hoc ipso anno, dum in refectionem totus incumberet ad præmia patientiae aeterna evocatus. Sub hoc in eodem Cænobio claruit Petrus Wallon, ejusdem loci Asceta doctissimus, genere non minus quam virtute & eruditione spectatissimus, scriptor suae ætatis optimè meritis, qui alia inter præstantissimi ingenij monumenta, scripsit libros Institutionum Monachicarum & prædicto suo Prælato dedicavit. Librum item alium insignem, de causis

calamitatum Belgicarum. *Ex Monasterij ejusdem nominis.*

IESU CHRISTI ANNI S. M. D. LXXV.
Sancti Patris Benedicti M. XCV.

Fluctuanti tota Britannia Catholicae Religioni assensenda plurimi ex Ordine nostro Pugiles, generosissimo animo se devovent, cum rediviva Jezabel, Regina Elisabeth, fastu plus quam Luciferiano, non similis solum Altissimo esse contenderet sed Verba aeternae Veritatis nequissimè temeritate eversa satageret, Christi Sponsam sine macula & ruga, meretricem proclamaret, ipsa propudiosissima meretrix caput sese Ecclesiae jactaret; Divinae Matri, Matri Virgini se præponeret, & illius expuncto nomine, suoque inserto, in Calendarijs, ut majorem Altissimi Matre, se proclamari & adorari sineret, nostris etiam inter tormenta gravissima inauditam, ab orbe condito mulieris dementiam identibus & damnantibus. Prodidit excelsus seu rasis in aere imaginibus liber integer suppliciorum diversissimorum à muliebri furore excogitatorum, in quibus se infernalis illa larva perpetuo exercuit; ut, si posset, omnes etiam inferorum poenas superando, in Catholicos, atque inprimis Fidei Catholicae assertores, in praxim deduceret. Deduxit, sibi quidem ad confusionem & damnationem per infinitas suppliciorum adinventiones in se exercendorum sempiternam, gloriosissimis vero Christi Martyribus ad indefinibilem letitiam, famam in terris, inque caelis gloriam; nostris & horum exemplo innumeris alijs, ipsissimo tanto crudelitatis exemplo, non solum imperterritis, verum etiam majore fervore accensis, & in illa S. Ignatij Antiocheni Episcopi, Patriarchae & Martyris per mille Generosissimi animi Vota erumpentibus: *Ignis, Crux, Bestia, contractio osium, membrorum divisio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur.* Ita hoc ipso anno affecti ducenti è sola sacra familia & Reformatione nostra ducenti Religiosi, dum in animandis ceteris Romanae Ecclesiae Fidelibus, fidelem Christo navarent operam jussu ejusdem Sacrilegae Reginae, per varia supplicia interempti,

*Elisabetha
Regina
Angliae
impia.*

*Carnifina
ejusdem.*

*Nostrorum
Animositas*